

Conclusio prima. Terra non mouetur circulariter ab occidente uersus orientem super polis suis & centro motu diurno, ut isti opinabantur. Patet, quia si sic, difficilius esset ire contra occidentem quam orientem, quod est contra experientiam. Oporteret enim aërem terræ uicinum etiam ita moueri, qui esset ambulanti impedimento. Aues etiam non possunt bene uolare contra orientem propter aërem insequentem, qui pennas earum eleuaret. Nam melius uolare uidemus aues contra uentum, quam cum uento. Item proiectum sursum non rediret in locum à quo exiit. Item ædificia ex tam uehementi impetu uiderentur rumpi. Manifestius tamen indicium est, quod non moueatur terra motu diurno, in hoc quod aues uidentur in sublimi moueri uersus orientem, similiter nubes faciunt, quod nequaquam accideret si terra sic moueretur, adeo enim uelociter oporteret terram moueri, quod ipsa motu suo superaret motum omnium in sublimi existentium, omnes igitur aues, & omnes nubes uiderentur moueri uersus occidentem.

Conclusio secunda. Quælibet pars terræ mouetur continue localiter, patet. Nam continue pars arida terræ radio Solari calefit, rarefit, & leuificatur & multæ particule terræ, & etiam aquæ de parte arida deportantur in fluminibus in Mare magnum. Vnde tunc pars terræ aquis cooperta grauior fit, quæ etiam aquæ frigidityate condensatur & grauificatur, oportet igitur ut illa pellat aliam sursum tam diu, donec centrum grauitatis totius fiat medium mundi, ad quod sequitur quamlibet terræ portionem continue localiter moueri.

Corrolarium. Non semper eadem pars terræ, manet medium mundi, sed fit alia & successiue.

Correlarium. Stat longo temporis successu, supposita perpetuitate mundi, partem terræ quæ quandoq; fuit in centro mundi, uenire ad superficiem, & e contra. Inde habetur occasio magnorum montium & scopulorum, partes enim terræ minus tenaces per pluuiam asportantur, & manent partes terræ tenaciores quæ successiue radijs Solaribus coquantur, & duritiem maiorem accipiunt. Huiusmodi terræ asportationem si quis nolet credere, uideat radices arborum antiquarum in syluis, uidebit enim eas iam terræ supereminentes, quas tamen quondam in terra conditas esse oportuit. Sic patet qualiter intelligatur terram esse immobilem, id est, non mouetur circulariter circa centrum suum, sicut sphaera. Etiam ipsa non est ita in continua mutatione locali, propter sui grauitatem sicut cætera elementa, quæ leuiora sunt & facilius agitari possunt & moueri. Ad rationem negandum quod omnia possunt saluari. Nam per hoc non possunt saluari Coniunctiones & Oppositiones planetarum, & diuersitates motuum eorum. Sed neq; saluari potest, quod uidemus aues & nubes quandoq; moueri uersus orientem, imò oporteret eas moueri semper uersus occidentem sic terræ rotunditatem ac immobilitatem (quæ centrum mundi) hoc est omnium elementorum & sphaerarum existit, sine ulla distinctione circulorum expressimus. Nunc de circulis sphaeræ, qui & ipsi in globo terræ, quemadmodum & in coelo imaginantur, dicendum uenit, & primo de axe mundi.

Quid sit axis & polus mundi

CAPVT. III.

Axis